



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. V. Præcipuum adversæ sententiæ fundamentum convellitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

ipſius, illa gratia pertinet ad effectus prædeſtinationis Adami, cui correfpondet aliquis gradus gloriæ in qua modo Adamus ipſe exiſtit: Sed gratia quam habuit in ſtatu innocentie, correfpondet aliquis gradus gloriæ in qua modo exiſtit; quamvis enim gratia illa amiſſa fuerit per peccatum, & meritum ejus mortificatum, tamen per pœnitentiam fuit illi reſtituta, & meritum viviſicatum ad eum gradum gloriæ recipiendum ad quem habuerat juſ in ſtatu innocentie: Ergo gratia quam Adamus habuit in ſtatu innocentie, fuit effectus prædeſtinationis ipſius.

Reſpondeo negando Minorem, ad cujus probationem, nego etiam Minorem; ad probationem illius, iterum nego Minorem; falſum enim eſt quod gratia illi quam habuit Adamus in ſtatu innocentie, formaliter ut tali, & ut primum à Deo voluit, correfpondeat aliquis gradus gloriæ in quo modo exiſtat protoparens noſter; fuit ſiquidem per peccatum totaliter extincta ejusmodi gratia, nec opera meritoria ex ipſa facta, retinuerunt aliquod juſ, remanſeruntve ullo modo in acceptatione divina ad gloriam tanquam ad præmium, ſed remanſerunt omnino mortua & incapacia reviviſcentie per pœnitentiam, in quo differunt à noſtris meritis, quæ cum per peccatum lethale ſolùm mortificentur, reviviſcunt per pœnitentiam ad eodem gradum gloriæ, ad quos juſ ſpeciale habebant, antequam Deum graviter offenderemus. Si autem rationem huius diſparitatis quæras, dico eam exinde peri, quod deſtructa in nobis gratia ſanctificante per peccatum mortale, remanet nihilominus adhuc unum ex principiis moralibus & vitalibus actionum illarum, quibus antequam laberemur in peccatum, aliquid apud Deum meruimus, nempe ipſe Chriſtus, qui cum ſit cauſa moralis & vitalis omnis noſtri meriti, illud in mente & acceptatione divina conſervat. At verò reſpectu Adami, adhuc in ſtatu innocentie exiſtentis, cum Chriſtus nondum inſlueret in ejus meritum, ſed ſola gratia ei collata, eſſet principium radicale & vitale talis meriti, mirum eſſe non debet, quod deſtructo tali principio radicali & vitali, omne meritum quod ab eo proceſſerat, totaliter vitam amiſſerit, atque adeo non mortificatum tantùm, ſed & omnino mortuum remanſerit.

§. V.

Præcipuum adverſe ſententie fundamentum convellitur.

Potest ſic breviter proponi. Chriſtus voluit & prædeſtinatus eſt à Deo ante præſcientiam peccati hominum: Ergo licet homo non peccaſſet, nihilominus Chriſtus ex vi præſentis decreti veniſſet. Conſequentia videtur legitima, cum enim prius non dependeat à poſteriori, ſi adventus Chriſti voluit eſſe à Deo ante præſcientiam peccati hominum, eſt independens à tali peccato, & ejus remedio, atque adeo executioni mandatus fuiſſet, licet homo non peccaſſet. Antecedens verò probatur. Prædeſtinatio Chriſti prior fuit decreto produciendi creaturas: At decretum productionis creaturarum prius fuit decreto permittendi peccatum: Ergo Chriſtus voluit & prædeſtinatus eſt à Deo ante permiſſionem, ſubindeque ante præſcientiam peccati hominum. Minor patet, non enim potuit Deus permittere peccatum hominum, illudque præſcire antequam haberet

A voluntatem ipſos produciendi. Major verò in qua poſita eſt difficultas, probatur primò ex Apoſtolo ad Coloſſ. 1. ubi Chriſtum appellat, *primogenitum omnis creature*, quod de Chriſto ut homine, plures ex Sanctis Patribus interpretantur: At non eſt primogenitus tempore: Ergo eſt primogenitus in intentione divina, ac proinde illius prædeſtinatio præcedit decretum productionis rerum.

Secundo, Proverb. 8. Divina Sapiëntia ait: *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio*. Ubi etiam ſermonem eſſe de Sapiëntia incarnata docent Baſilius, Athanaſius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Ambroſius, Hilarius, & plures alij quos reſert noſter Vincentius, reſect. de gratia Chriſti quæſt. 6. Ergo Verbum incarnatum fuit initium viarum Domini, id eſt operum Dei ad extra: At non fuit initium in temporali rerum executione, cum poſt multajam creata Verbum fuerit incarnatum: Ergo fuit initium in divina intentione, ac proinde illius prædeſtinatio, decretum prædeſtinationis rerum præceſſit.

Tertiò eadem Major ratione ſuadet. Omnis ordinatè volens, prius vult finem, & ex mediis illa quæ ſunt fini propinquiora: Sed ad manifeſtationem bonitatis divinæ, quæ eſt finis intentus à Deo in productione rerum, propinquius ſe habet Incarnatio Verbi, quam omnes aliæ creature, cum illas omnes in perfectione excedat: Ergo Deus ſemper volens ordinatiſſimè, prius intendit manifeſtationem bonitatis ſuæ, & immediate poſt voluit Incarnationem Verbi, poſtea ordinem gratiæ, ac tandem ordinem naturæ; ac proinde decretum Incarnationis, prius fuit decreto productionis rerum.

Huic argumento; quod apud Adverſarios palmarium eſt, triplex ſolet adhiberi ſolutio. In primis aliqui ex noſtris Thomiſtis, conceſſo Antecedente, negant Conſequentiam: quia (inquiunt) eſſi Chriſti prædeſtinatio antecedit in intentione Dei, præſcientiam peccati, & decretum homines redimendi, eo ipſo tamen, quod non alio modo, neque alio medio, voluit Deus illam exequi, niſi mediâ permiſſione peccati, ſit inde quod ſi homo non peccaſſet, Chriſtus non veniſſet. Eo proportionali modo quo licet intentio quam habet Deus dandi ſuam gloriam electis, ſit prior decreto de bonis operibus ipſorum, atque adeo præviſionem ejusmodi operum antecedit, nihilominus quia Deus non aliter ſtatuit voluntatem illam ſive intencionem adimplere, quam per bona opera, verum eſt dicere quod nullus electorum abſque bonis operibus ſalvabitur.

Hæc ſolutio haud dubiè probabilis eſt, poteſtque illuſtrari alio exemplo ex orationibus Sanctorum, quibus Deus decrevit alicujus prædeſtinationem impleri, deſumpto: quamvis enim intentio prædeſtinandi non fuerit poſt præviſas tales orationes, neque ex ipſis, tanquam ex cauſa, vel ratione; tamen quia hæc intentio non alio modo quam his orationibus decreta eſt impleri, verum eſt dicere quod ille non ſalvus eſſet, ſi talis Sanctus pro eo non oraſſet; & quod Eccleſia Paulum non habuiſſet, ſi Stephanus pro eo non oraſſet. Eodem ergo modo, quamvis prædeſtinatio Chriſti facta fuerit ante præviſionem peccati, & ante decretum redimendi homines; quia tamen quoad executionem non alio modo, neque alio medio, diſpoſitum fuit hanc prædeſtinationem impleri, niſi mediâ permiſſione peccati, ſit eſſe

verum, quod si Adam non peccasset, Verbum A
Divinum carnem humanam non assumpsisset.

51. Respondent secundo alij, negando Antecedens,
ad cujus probationem, negant Majorem, & ad
primam ejus probationem dicunt Christum non
ideo in Scripturis appellari primogenitum omnis
creaturæ, quod prius ordine causalitatis & inten-
tionis prædestinatus fuerit, quam aliz omnes
creaturæ sint prædefinitæ & volitæ à Deo, sed
tantum quia dignitate & excellentiâ antecedit eas;
ut exponit D. Hieronymus.

Ad secundam respondent, vel ibi sermonem esse
de Sapientia increata, quæ dicitur initium viarum
Dei, quia Verbo quod est Sapientia Patris con-
dita sunt universa. Vel si verba illa de Sapientia B
incarnata intelligantur, illam dici initium viarum
Dei, quia est initium operum redemptionis, &
prædicationis Evangelicæ, ratione humanitatis,
& omnium creaturarum, ratione divinitatis, ut
interpretantur Cyrillus lib. 9. thesauri cap. 7. &
8. & Hieronymus ad verba illa Proverb. 8. Ex
quo solum sequitur, prædestinationem Christi
fuisse in divina mente priorem decreto evangeli-
cæ prædicationis.

Ad tertiam respondent, Majorem esse veram de
his quæ sunt fini propinquiora ordine causalitatis,
falsam verò de his quæ sunt propinquiora illi tan-
tum ordine perfectionis: Christus autem licet sit
perfectior universo, & ordine gratiæ, non tamen
est propinquior fini à Deo intento, ordine causa-
litis; ita ut res naturales, & ordinis gratiæ, in
attingendo finem intentum à Deo, scilicet mani-
festationem bonitatis suæ, ab illo ut intermedio
dependeant, sed seipsis immediatè ad talem finem
conducunt; ac proinde potuit Deus decernere
omnia simul, vel minus perfectum ad perfectius
ordinare, vel denique perfectius ordinare ad mi-
nus perfectum; cumque hoc ex sola Dei volun-
tate pendeat, qualiter de facto contigerit, ex
Scriptura, Concilijs, & Patribus indagandum est;
& quia ex illis constat, Deum decrevisse myste-
rium Incarnationis propter hominum salutem
& redemptionem, asserendum est, non prius præ-
destinasse Christum, quam decreverit universum
producere, & peccatum permittere. Unde juxta
hunc modum dicendi, sic disponenda sunt divinæ
mentis decreta. Postquam Deus scientiâ simplicis
intelligentiæ omnia possibilia cognovit, primò
suorum attributorum manifestationem decrevit.
Secundò ad istum finem ex pluribus possibilibus
hunc mundum elegit, ex diversis rerum gradibus
& naturis compositum. Tertio voluit naturam
intellectualem donis gratiæ exornare. Quarto
decrevit hominis peccatum permittere. Quintò
prævisò peccato misericordiâ tactus, potens mul-
tis modis hominis peccatum destruere, vel purè
misericorditer condonando, vel satisfactionem
inæqualem & imperfectam acceptando, modo
convenientissimo illius expiationem, ac reme-
dium nostrum, decrevit, scilicet per condignam
& æqualem satisfactionem. Sextò ad talem satis-
factionem exhibendam, voluit quod Verbum
carnem humanam assumeret. Denique in Christo
quosdam ex hominibus elegit ad gloriam, alijs
in massa perditionis, justo judicio, sed nobis oc-
culto, relictis.

§. VI.

Verior ac probabilior solutio traditur.

Licet præcedentes solutiones non sint impro-
babiles, & à gravissimis Theologis tradan-
tur ac defendantur, placet tamen addere ter-
tiam, quæ videtur probabilior, sumiturque ex
communi Thomistarum & Peripateticorum do-
ctrina, qui asserunt causas sibi invicem esse cau-
sas, & quod in uno genere causæ est prius, posse
in alio esse posterius, ut variis exemplis in Tra-
ctatu de justificatione declaravimus.

B Dicimus ergo quod ordine intentionis, prius
fuit volitus Christus, quam omnia alia, sive or-
dinis naturalis, sive ordinis supernaturalis, &
quàm permissio peccati, in genere causæ finalis,
posterius tamen in genere causæ materialis. Vel
ut alij dicunt, licet Christus prius fuerit prævisus
& intentus in ratione finis *qui*, quàm ordo natu-
ræ & gratiæ, & quàm peccatum intelligatur esse
permissum à Deo, tamen prioritate finis *cui*, prius
volitum fuit remedium peccati, seu genus hu-
manum ut redimendum, quàm fuerit prævisa &
volita Incarnatio, quod ut magis declaretur,

Notandum primò, finem qui est adæquatum
intentionis objectum, dividi à Philosophis in
finem *Qui*, sive ut alij loquuntur in finem *Cujus*
C gratiæ, & in finem *Cui*, quem aliqui appellant *fi-
nem effectum*. Finis *qui*, sive cuius gratiæ, est illud
bonum quod appetitur, & cuius gratiæ media as-
sumuntur. Finis verò *cui*, est illud subjectum, sive
illa persona, cui vel propter quam appetitur tale
bonum: v. g. in Medico desiderante sanitatem
ægroto, finis *qui*, est sanitas, propter quam pro-
curandam infirmo præscribuntur potiones, &
alia remedia adhibentur. Finis verò *cui*, est ipse
infirmus cui sanitas desideratur.

Notandum secundò, quod licet in eodem in-
fimo genere causæ non possit esse inter duo reci-
procatio, seu mutua causalitas & dependentia,
D bene tamen in eodem genere subalterno, divisi-
bili in diversos modos causandi. Nam ut commu-
niter docent nostri Thomistæ, in Tractatu de ge-
neratione & corruptione, dispositiones concomi-
tantes, sunt priores composito genito, in genere
causæ materialis dispositivæ, quia ad formæ re-
ceptionem disponunt, & posteriores in genere
causæ materialis receptivæ, seu subjectivæ, quia
in composito recipiuntur & subiectantur; tam-
quam in subjecto quod. Cum ergo genus causæ fi-
nalis sit subalternum, & in duas veluti species di-
vidatur, nimirum in finem *qui*, seu cuius gratiæ,
& in finem *cui*, nihil repugnat, id quod est prius
alio in ratione finis *qui*, esse posterius & depen-
dens in ratione finis *cui*, ut patet in exemplo ad-
ducto Medici desiderantis sanitatem infirmo: ipsa
enim sanitas est prior ægroto in ratione finis *qui*,
seu cuius gratiæ, æger verò cui sanitas desideratur,
est prior in eodem genere causæ finalis, in ratio-
ne finis *cui*. His præmissis.

Prima pars hujus resolutionis, quæ asserit Chri-
stum ordine intentionis, prius fuisse volitum, ut
finem *qui*, quàm res ordinis naturalis, & ordinis
gratiæ, & quàm permissio peccati, probatur pri-
mò ex illo Apostoli 1. ad Corinthios, *Omnia ve-
stra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*.
Ubi D. Thomas ait significari quod quemad-
modum omnia propter prædestinatos creata sunt,
ita omnia creata, & ipsi prædestinati, sunt pro-
pter